



# Disputatio juridica inauguralis de fidejussoribus

<https://hdl.handle.net/1874/343311>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**FIDEJUSSORIBUS.**

*QUAM*

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**JOANNIS GEORGII GRAEVII**

Politics, Eloquentiæ, & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimaque  
Facultatis JURIDICÆ Decretō.*

**PRO GRADU DOCTORATUS**

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

**ROGERIUS MARCELLUS VELTERS D'WELZINGE**  
Indo-Batav.

*Ad diem 9. Martii hora locoque solitis.*



**TRAJECTI ad RHENUM,**

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiarum  
Typographi, clc Icc xci.

*Amplissimis, Gravissimis, Specta-  
tissimisque Viris,*

D. CORNELIO VALKE-  
NIER, Scabino & Senato-  
ri Inclytæ & florentissimæ  
R. P. Amstelodamensis &c.

D. W I L H E L M O van  
OUTHOORN, J.C. Gu-  
bernatori Generali Belgicæ  
Societatis Indiæ Orientalis,  
&c.

*Avunculis suis omni Reverentia  
ac honore colendis*

Hasce Theses submissæ offert

ROGER. MARCELLUS VELTERS.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
FIDEJUSSORIBUS.

THEISIS I.



X stipulatione promissor tenetur ad id, quod in stipulationem deductum est, præstandum, quæ promissio, ut magis in tuto sit, solent fidejussores dari & accipi. Sunt autem proprie fidejussores, qui suo periculo & fide, (interposita stipulatione) aliis tutò credi spondent, ita tamen, ut debitor Principalis nihilominus maneat obligatus. Aliter fidejussores etiam sponsores vocantur l. 68. ff. b. t. & maximè à veteribus Cic. ad Attic. lib. 1. Tulliola delitiola nostra, tuum munusculum flagitat, & me ut sponsorem appellat. Et Suetonius in Julio Cesare: Retinentes creditores interventu sponsorum removit. à Jurisconsultis etiam adpromissores. l. 64. §. 4. ff. solut. matri. l. 5. §. 2. ff. de verb. obl. l. 43. ff. de solut. Quoniam ad id, quod alias debet, accedentes, idem promittunt.

A 2

Ex

ROGER MARCETUS ASTRÆ

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

*(causib. dedi. amiq. ni. 20) I. L. b. cito, nomen, nullum pater  
naturam, cuiuslibet a nomine utrum omnibus, nonnullis, nonnullis.*

Ex predicta definitione satis apparet fidejussorem non tantum à constitutæ pecuniæ reo §. 9. *Inst. de act.* & à mandatore l. 28. ff. *mand.* distingui: verum etiam inter expromissores & fidejussores discrimen esse. Prima differentia est, quod expromissor obligationem alterius ita in se suscipiat, ut se principalem debitorem constituat, extincta obligatione principali; fidejussio autem priorem obligationem non tollat. l. 4. 5. l. 23. *Cod. b. t.* deinde expromissor sit novatione principalis obligationis: l. ult. ff. ad *S. C. Maced.* fidejussio autem sit sine novatione, salva manente obligatione principali. Tertio potest quis expromittere pro se ipso, non fidejubere l. 21. §. 2. ff. *b. t.* aliquando tamen expromissor quasi fidejussor id est impropre. l. 30. §. 1. ff. *de pact.* & fidejussor pro expromissore sumitur §. 41. *Inst. de rer. div.* l. 53. ff. *de contrab. emt.* l. 4. §. 3. ff. *de re judicat.*

I. I. L.

Sequitur ut de personis, quæ hanc cautionem præstant, videamus; & sunt omnes illi, qui obligari & conveniri cum effectu possunt. l. 3, 10, §. 2. ff. *b. t.* Pater pro filio l. 19 §. 2. ff. *de inst. act.* vicissim filius pro patre l. 10. §. 1. ff. *b. t.* l. 8. *Cod. cod.* l. 1. *Cod. de filios. minor.* ubi non alias ei succurritur, quam si fuerit minor. Servus quoque rectè fidejubere potest; quamvis enim fidejussionis nomine obligari non possit. l. 20. ff. *b. t.* si tamen ex peculiari causa fidejuserit, fidejussio valida est. l. 19. ff. *b. t.*

I. V.

Inhabiles tamen ad fidejubendum sunt, quidam natura, quidam lege. Prioris generis sunt infantes, quia nullum habent intellectum §. 10. *Inst. de inutil. stipul.* Furiosi, propter rationem §. 8. d. t. Prodigii, quibus bonorum administratio est interdicta, quia furiosis æquiparantur l. 6. ff. *de verb. obl.* muti & surdi, tametsi consentire & mentem suam vel nutu vel scriptura exprimere

mere

mere possint, tamen, quia fidejussio (ut in prima thesi dictum) fit interveniente stipulatione; mutus autem & surdus stipulari non possunt, ideo nec fidejubere valent. *I. i. §. 14, 15. ff. de obl. & act.* Lege interdicitur pupillis & minoribus 25. annis, cum sine tutoris vel curatoris consensu non obligentur. *arg. princ. & §. 1. Inst. de auct. tut.* Militibus *I. 8. §. 1. ff. qui satus d. cog. ne omisso armorum usu privatis negotiis se occupent.* *I. 31. Cod. Lo- car. & cond.* nisi tamen in rem suam fidejubeant *d. I. 8. §. 1.* Mulieres etiam arcentur ob beneficium Senatusconsulti Velleiosi tato illo *tit. ff. & Cod. ad SC. Vellej.* An huic Senatusconsulto renunciare possint, inter DD. est quæstio; quod affirmandum putamus, nimirum si modò prius de illo edictæ & certioratæ fuerint. *I. ult. §. penult. ff. ad SC. Vell.*

## V.

Quoniam verò fidejussores accedere debent obligationi, vindendum erit, in qua assumi vel non assumi possint: & nihil interest, utrum sit civilis an naturalis obligatio: quarè quis pro pupillo, qui naturaliter tantum tenetur, fidejubens, non solum naturaliter, verum etiam civiliter obligatur, ita, ut nequidem exceptionem pupillo competentem habeat *I. 7. ff. de excep.* quod in servo etiam obtinet, qui cum naturaliter obligetur, potest quis pro eo intercedere, etiam apud dominum *I. 20. §. 3. ff. b. t.* nihil quoque refert, utrum obligatio sit ex contractu, an ex delicto profiscatur *I. 8. §. 1, 5. I. 56. §. ult. ff. b. t.* Quamvis tamen posteriori casu sit distinguendum, ut si civiliter agatur, vel etiam criminaliter, sed ad poenam pecuniariam, locus sit fidejussioni. *d. I. 8. §. 5. I. 70. §. ult. ff. cod.*

## VI.

Quæritur, an fidejussor se pro reo criminis atrocioris, veluti cædis, etiam ad capitis poenam vel cruciatum corporis obligare possit? Et quamvis exempla non desint, que illud affirmant, his tamen non obstantibus, negantium amplectimur sententiam.

## DISPUTATIO JURIDICA

Regula quippe juris est : nemo est dominus membrorum suorum *l. 13. ff. ad l. aquil.* Cui consequens est , ut ad capitis pœnam , nemo se obligare possit. Et absurdum sane foret , pro reo fidejussorem plectere velle : nam pœna finis partim emendatio peccantis est ; partim exemplum , quo alii à maleficiis deterreantur ; partim solatium , quo Iæsus ejusve cognati fruantur. At nec reus emendabitur , nec exemplum commode statui poterit , nec cognatis occisi satisficeri , si pro auctore sceleris plectatur fidejussor. Quare totum illud , tanquam Republicæ noxium , & à recta ratione abhorrens , repudiandum est. Cæterum , reum capitalis criminis interdum fidejussoribus committi posse , patet ex *l. 6. §. 3. Cod. de appell.* habita scilicet ratione circumstantiarum , & qualitate personæ inspecta *l. 1. ff. de cust. & exhib. reor.* & dicta *l. 6.* ubi in capitalibus causis illi vinculis eximi prohibentur , qui ob inopiam fidejussores non inveniunt , nec merentur fidem.

### V I I.

Excipiuntur tamen quædam obligationes , quibus fidejussores accedere nequeunt ; uti constat primò in causis popularium actionum , *l. 56. §. ult. ff. b. t.* Quia ante litem contestatam actor non potest exigere fidejussorem pœnae solvendæ gratia : nam non est creditor *l. 12. ff. de Verb. oblig.* Secundo in obligatione præscriptione temporis finita *l. 37. ff. b. t.* Cum enim hoc casu principalis obligatio sublata sit , merito etiam accessoria extinguitur. Tertiò pro dote à marito , patre , vel omnibus iis , qui dotem suscipiunt , fidejussor dari nequit *tot. iii. Cod. ne fid. dot. dent.* turpe enim esset , uxorem majorem fidem habere fidejussori extraneo , quam marito , cui animum , corpus & omnem vitam tradit . *l. 8. Cod. de pact. conv.* Imò , licet ultrò maritus fidejussorem dederit , tamen fidejussor non obligatur , quia totus ille titulus Codicis *ne fidejussores dotum dentur* , prohibet fidejussorem dari , neque distinguit an maritus volens vel an coactus fecerit. Neque obligationi in contractu turpi vel in honesto vel impossibili adhibentur *l. 70. §. ult. ff. b. t. l. 26. & seq. ff. de verb. obl.* Ultimò pro deportatis fidejussor-

dejussores intervenire non possunt, quia per deportationem extinta est obligatio *l. 47. ff. b. t.* Quod si ante deportationem fidem suam adstrinxerint, meritò conveniri possunt *l. 1. Cod. b. t.*

## VIII.

Hisce ita breviter præscriptis, transeatnus ad formam fidejussionis, quæ in eo consistit, quod fidejussor possit accipi pure vel sub conditione vel ad certum tempus, vel ex certo tempore *§. 5.* *Inst. b. t. l. 6. §. 1. ff. eod.* In causam verò duriorem accipi non potest, id est, ut fidejussor vel re, vel tempore, aut causa plus debeat, quam reus principalis *l. 8. §. 7. ff. eod.* Verùm hic quoad quantitatem difficultas existit: utrum scilicet, si fidejussor se in majorem summam obligaverit, fidejusso in totum inutilis sit, an quoad summam concurrentem valeat? Sunt qui existimant fidejusso rem saltem teneri ad summam concurrentem; magis tamen conveniens videtur Juri Civili si dicamus, fidejusserem omnino non obligari, id est, ne in eam summam, quam debet reus, ut si fidejusserit in XX. cum reus deberet X. ne quidem in X. obligari per *l. 8. §. 7. ff. b. t.* Cuiaccedit, quod talis obligatio sit contra formam stipulationis *l. 49. §. 2. in fin. ff. b. t.* Et quod fidejussor in majorem summam acceptus, eodem modo obligatur, ut is, qui purè fidejubet pro eo, qui sub conditione debebat *§. 5. Inst. b. t.* & ille nullo modo obligatur *d. l. 8. §. 7.*

## IX.

Effectus fidejussionis varii sunt: Primo quod ipsi fidejussores non tantum, verùm etiam hæredes eorum obligentur *§. 2. Inst. b. t. l. 4. §. 1. ff. eod.* Quia est obligatio ex contractu, quæ in hæredes transit. *l. 49. ff. de obl. & act.* Quod tamen limitatur, si scilicet principalis obligatio sit ex delicto, quo casu non indistinctè fidejussorum hæredes tenentur, sed tam diu,

quam

## 8 DISPUTATIO JURIDICA.

quam diu vivit ipse delinquens, illo verò mortuo liberantur l. 10.  
 §. 2. in fin. ff. si quis cant. in jud. sif. caus. fact. Secundò quod fidejussor à creditore conveniri possit condicione certi vel actione  
 ex stipulatu princ. Inst. de Verb. Obl. Tertiò quod unus ex plurimi-  
 bus fidejussoribus, qui totum debitum solvit, adversus con-  
 dejussores nullam habeat actionem ad partem soluti repetendam  
 l. 39. ff. b. t. olim etiam ante principalem debitorem fidejussores  
 conveniri poterant l. 2. & 5. Cod. b. t. & quidem si plures sint,  
 singuli in solidum §. 4. Inst. b. t. Verùm contra hos effectus &  
 gravamina hodie fidejussoribus prospectum est per remedia  
 1. ordinis seu excussionis, 2. divisionis, 3. cedendarum  
 actionum.

X.

Primum beneficium vocatur ordinis seu excussionis, quod est  
 privilegium in favorem illorum, qui minus principaliter tenen-  
 tur, concessum, ne, bonis principalis debitoris nondum excus-  
 sis, ipsi cum effectu convenientur. auth. præsente Cod. b. t. &  
 Nov. 4. Cap. 1. Non tamen semper hoc beneficio gaudent fide-  
 jussores, aliquando enim multis casibus cessat. Primo si debi-  
 tor principalis absit, sive cum tidejuberet abesset, sive postmo-  
 dum abesse cœperit, nec judicio fistatur intra tempus à judice  
 fidejussori indulatum d. auth. præsente & Nov. 4. Secundò  
 non etiam repellitur creditor à fidejussore, si sit notorium, de-  
 bitorem non esse solvendo, cum quæ certa sunt, non debeant  
 amplius certiorari. Præterea si fidejussor debitorem principalem  
 executi impediverit. arg. l. 203. de R. f. item si per mendacium  
 negaverit se fidejussisse, & postea mendacii convincatur arg. l.  
 10. §. 1. ff. b. t. aut si huic beneficio renuntiaverit, cum in  
 favorem reorum minus principalium sit introductum, unde  
 huic favori suo renunciare queunt. per l. penit. Cod.  
 de pact.

XI.

## X I.

Secundum est beneficium divisionis, quod est privilegium in favorem illorum concessum, qui in solidum cum aliis sunt obligati, ne à singulis solidum, sed tantum portio virilis exigatur §. 4. *inst. b. t. l. 26. ff. eod. l. 3. Cod. eod. introductum* hoc est edicto Divi Hadriani d. §. 4. & l. 26. & competit cuicunque fidejussori, qui tempore litis contestatae solvendo est. l. 10. §. 1. *Cod. b. t.* dico tempore litis contestatae, quia si quis ex fidejussoribus eo tempore solvendo non sit, licet apta solvendo fuerit, id cæteris qui solvendo sunt, non prodest sed onerat §. 4. *Inst. b. t.* sane si omnes proponantur tempore litis contestatae solvendo fuisse, & postea aliqui minus idonei esse coeperint, quamvis ante sententiam ea res ad onus ejus, qui solvendo est, non pertinet, l. 51. §. pen. ff. b. t. sed damno erit creditori, qui sibi imputare debet, quod tempestive eos non excusserit. l. 16. *Cod. b. t.* Effectus hujus beneficii est exceptio eaque etiam post item contestatam usque ad sententiam opponi potest. *arg. l. 10. §. 1. Cod. b. t.*

## X I I.

Quod si tamen unus ex fidejussoribus, neglecto hoc beneficio, solidum præstiterit creditori, nullum regressum contra confidejussores habet, §. 4. *Inst. b. t.* nisi beneficio cedendarum actionum fuerit usus l. 39. ff. b. t. l. 11. *Cod. eod.* estque illud tertium beneficium, quo succurritur fidejussoribus, quod definitur privilegium in favorem illorum, qui pro aliis solvere tenentur, concessum, ne prius ad solutionem compellantur, quam ipsis a creditore cessæ fuerint actiones, ei quavis ratione competentes l. 21. *Cod. b. t.* Requiritur ergo ut ante vel in ipsa solutione actiones cedantur l. 11. *Cod. b. t. l. 36. eod.* quia solutione facta sublata est omnis obligatio & actio prin. *Inst. quib. mod. toll. obl.* nisi tamen fidejussor ea lege solverit, ut sibi cederentur actiones. quo casu etiam post solutionem pecunia recte aget fidejussor de actionibus sibi cedendis.


## X III I.


Ultimus effectus fidejussionis consistit in remedii, quæ fidejussor habet contra reum principalem, scilicet vel actionem mandati, si mandato ejus se obligaverit §. 6. *Inst. b. t. l. 10. §. 11. ff. mand.* idque vel expresso *l. 20. §. 1. ff. eod.* vel tacito. Verbi gratia, si fidejussor pro debitore presente & tacente *l. 6. §. 2. l. 18. ff. mand.* vel negotiorum gestorum, si pro absente vel ignorantе *d. l. 20. §. 1. ff. mand.* Quod si verò quis pro invito vel contradicente fidejussor nullam prorsus actionem haberet, cum donare videatur, juxta decisionem Justiniani *in l. fin. Cod. de Neg. Gest. l. 40. ff. mand.*

## X I V.

Restat paucis dicendum quibus modis fidejusso solvatur; & tollitur iisdem, quibus stipulatio 1. solutione principalis debiti *l. 43. ff. de solut.* est enim fidejusso accessoria, ut, quatenus diminuitur principale debitum, censeatur diminuta. 2. Novatione *l. 4. Cod. b. t.* 3. Lapso tempore, ad quod quis se obligavit, cum hac expressa protestatione, quod ultra id obligatus esse non sit: tum enim fidejussori competit exceptio pacti *l. 44. §. 1. ff. de obl. & act.* si verò simpliciter se quis obligavit ad certum tempus, eo lapso non liberatur, ita tamen, ut ad id, quod post tempus obligationi accedit, non teneatur *l. 7. Cod. loc. 4.* Confusione actionis inter creditorem & debitorem *l. 93. §. ult. ff. de solutionibus.*

**F I N I S.**





71-915

71-64.P.

